

aliquas tribuisse partes? Tantus enim est illorum consensus, Anaxagoram principem ponentium, qui ad explicandam rerum generationem diuinam mentem a materia separatam introduxerit, ut quî vnus propemodum CICERONIS testimonium tot contrarias auctoritates sustinere possit, vix videam (a): taceo, istum Ciceronis locum deprauationis suspicione haud vacare (b). Qui ipsa priscorum auctorum cupit verba inspiciere, BAYLIUM adeat (c): nobis in praesentia satis sit vnus DIOGENIS LAERTII adduxisse testimonium: Ἀναξάγορας πρῶτος τῆ ὕλην νῦν ἐπέστησεν. *Anaxagoras primus materiae mentem praefecit* (d). Anaxagoram propterea νῦν, *mentem*, esse cognominatum, ex PLVTARCHO discimus (e). Quo iure, quaeso, quae ratione haec vna fere constantique voce ab antiquis esse possent dicta, si aliqua supremæ mentis in Thaletis disciplina inesset significatio? Neque tamen Anaximandrum quis atque Anaximenem dicat Thaletis rationem corrupisse, quae ab Anaxagora tantum restituta sit atque repurgata. Non enim ad Thalem huius sententiae ab Anaxagora reuocatae originem refert Diogenes Laertius, quod omnino factum foret, si huius generis quid Thales docuisset: Sed ad LINVM, vetustissimum poetam

(a) CIC. de N. D. L. I. c. 10.

(b) Vid. BAYL. voc. ANAXAG. not. D.

(c) l. c. not. E. & F.

(d) L. II. segm. 6.

(e) In PERICLE T. II. oper. p. m. 111.